





et hinc utriusque colligatur sic ergo utrumque  
se leviter etiam etiam posset sententia audiatur  
ut si sententia libet et se sententia sententia  
sententia sententia sententia sententia sententia  
sententia sententia sententia sententia sententia



# DE SPE IVDAEORVM DESPERATA

## PRAEFATVS

---

AD

*ACTVM VALEDICTORIVM*

OBSERVANTER

INVITAT

M. IO. GOTTL. BIDERMANN R.

---

FREIBERGAE, Litteris MATTHAEANIS,

XLI.

---

**N**emo, opinor, tam expers est rerum publice gestarum, quin de motibus inter Iudeos hoc anno excitatis vel legerit vel audierit, Quum enim haec gens ex splendidissima luce in soridissimas tenebras detrusa, diutina Messiae exspectatione fere contabescat, indicia vero illius promissi palam prostare et in aprico posita esse, intelligat, non est, quod miremur, multos misello ex isto populo aut tacite suspirare, aut aperte conqueri, quod spe desperata pessime adhuc deludantur.

Neque vero nostra demum aetate Iudei ita sentiunt: sed iam pridem inter eos fuerunt summi nominis viri, qui, subtractis rationibus, et animo conuicti, publice adfirmarunt, procul omni dubio Messiam, ardentissimis votis adhuc expetitum, venisse, et frustra nunc exspectari. Nam tempus huius aduentus annum quadringentesimum ab excisa urbe Hierosolymitana constituerunt, de certitudine illius adeo persuasi, ut ipsi doctores Talmudici emtionem agri mille denariis aestimati dissuaderent, quia, ut R. SAL. IARCHI addit, a) קָרְבָּן אֶלְעָמֵד שְׁנִי תְּקִבָּת הַמָּלֵךְ מֶשֶׁה בְּאַלְפָם הָרָה כָּל־יִשְׂרָאֵל b) Et illa quidem Iubilaea annos conficiunt M M M M C C, adeoque annus M M M C C X X I, qui ab excidio urbis est quadringentesimus tertius, in octogesimum quintum Iubilaeum incidit. Iam vero, quam amplius anni M D C C, ab urbe deuastata effluxerint, neque tamen Messias à Iudeis exspectatus venerit, quis, quaelo, spem eorum desperatam non videt? Hoc loco eorum etiam sententia proferri meretur, qui, traditionem Eliae sequentes, publice confessi sunt, c) mundum sex millia annorum duraturum: horum duo millia elapsa esse ante legem, duo millia sub lege esse finienda, et duo millia sub Messia transfigenda: ad quae verba postrema IARCHI ita commentatur: קָרְבָּן אֶלְעָמֵד שְׁנִי תְּקִבָּת הַמָּלֵךְ מֶשֶׁה b) in Tr. Sanhedrin fol. 97. b. h. e. post duos millenarios legis iustum erat, ut Messias veniret. Quod vero tempus illud determinatum

---

a) Georg. Eliel. Edzardi in Tract. Talmud. Auoda Sara Cap. I. p. 244,  
b) in Tr. Sanhedrin fol. 97. b. c) l. c. a.

natum iamdudum praeterierit, et Iudeos veluti coruos hiantes deluserit.  
nemo non intelligendo sentit.

Haec igitur testimonia quum aperta omnino sint et summorum virorum  
auctoritate communita, quis miretur, ipsos inter Iudeos fuisse, qui vel  
oraculorum diuinorum efficacia commoti, vel exspectationis pertaesii, pa-  
lam pronuntiauerint, prorsus sepe de Messiae futuro aduentu desperare.  
Non solum enim ingenue consententur, d) בְּלֹא כָּל הַקְּצִינָה, effluxisse omnes ter-  
minos temporis, huic aduentui destinati; sed etiam omnibus diris eos pro-  
sequuntur, qui imposteriorum nouum tempus determinare auderent. Ut iam  
testimonia ex R. KIMCHI, e) R. IARCHI, f) R. ABARBANEL, g)  
R. SAADIA h) et aliorum libris praetermittamus, sufficiet, TALMUDI-  
STARVM imprecationem audire, qui ita edicunt: i) לְשָׁמֶן מִזְבֵּחַ קָרְבָּן  
flatu rumpatur corpus eorum, qui supputare audent terminos  
Messiae venturi. Quid? quod R. ALBO k) eo audaciae progreßus fue-  
rit, ut negaret, aduentum Messiae articulum fidei fundamentalem esse;  
R. HILLEL autem fidei suae socios false irrideat, quod spe venturi  
Messiae inani tamdiu se lactari patientur. En eius verba: l) לְבָנָי מִשְׁמָרָה  
כביר אֲכֻלוּו בַּיִת חֲכָמָה; non erit Messias Israeli, iampridem enim illum tem-  
pore Hiskiae deuorarunt.

Et quis, quaeso, animum non desponeat, sentiens, ipsos Iudeorum ma-  
gistros in consituendo futuri Messiae tempore dissentire? R. SAADIAS  
et R. NACHMANIDES annum mundi M M M M M C L X H I I. praedixerunt. R. LEV. GERSON annum ab excidio Hierosolymitanorum  
M C C X L V. designauit. R. MAIMONIDES annum M M M M D C C C L X X V I  
constituit. R. ABARBANEL coniunctionem Saturni et Louis in signo  
pisces, quae obtigit anno Christi M C C C L X I V. imminentem Mes-  
siae aduentum portendere, docuit: neque tamen ipse dissisteri potuit: H)

d) l. c. b.

e) ad Ies. LXIII, 17.

f) ad Dan. VII, 25.

g) in Ies. fol. 38. a.

h) ad Dan. VII, 25.

i) in San-

hedr. l. c.

k) in בְּרִכָּה fol. 10. b. et fol. 12. b.

l) Sanhedr.

fol. 99. a.

M) in Daniel. fol. 51

בְּמִינְיוֹתָם כָּל וְאַז בְּמִזְעוֹלָה: h. e. omnes sapientes mendacium se-  
qui in vario suo computo et vanitatem, et nihil sani illi inesse.

Plura testimonia cumulare iam nolo, ab aliis studiose collecta, qui de rebus Iudeorum exposuerunt, docentes, fieri non posse, quin, ipsi magistris in hoc primario fidei capite tam mire fluctuantibus, plebs fere in desperationem incurrat, et summo in salutis discriminine versetur. Eandem vero Iudeorum spem desperatam illi magis atque magis exultarunt, qui pro Messia sese venditantes, pessime suae fidei socii imposuerunt, turpisnamque nominis memoriam ad posteros transmiserunt. Sunt, qui ipsam matrem omnium viuentium, Euam, itemque Lamachum, in hoc per errorem peccasse, statuunt, quod illa partu Messiam sese edidisse sibi persuaserit, m) hic vero in filio recens nato, Noacho, eam spem collocauerit, quae à promisso mundi salvatore exspectanda erat, n) Tantum autem aberat, ut hic error cum fraude coniunctus esset, ut potius ardentissimum desiderium Messiae, quo prisca illa aetas flagrabat, luculententer indicaret. Neque vero falsi Messiae tempore veteris Testamenti vel surrexerunt, vel inclinaruerunt: quippe quos Christus ipse post suum demum ex terris discessum orituros, et multos in errorem seducturos praedixit. o)

Et inter hos quidem primo loco SIMON ille MAGVS obveratur, anno post Christum natum trigesimo tertio originem diuinam mentiens, et δοραπι τε Θεος μεγαλην, h. e. Messiae dignitatem, adfertans, p) qui vero suis ab ascenis tandem desertus, et de veritate religionis coniunctus, tandem inter ipsos Christianos nomen suum fuit profilius. De quo cum multi alii exposuerunt, tum in primis diuunviri eruditissimi, SAM. BASNAGIVS q) et THOM. ITTIGIVS, r) quicquid dubitationis in hac historia occurrit, diligenter excusserunt. Huic aetate proximi fuerunt THEVDA S, itemque IVDAS GALI-  
LAEVS, quos LVCAS s) vana ambitione inflatos et impie nomen diuinum usur-

m) Gen. IV, 1.

n) Gen. V, 29.

o) Matth. XXIV, 5.

p) Act. VIII, 10.

q) Exercitatt. Anti-Baron. p. 104.

r) Selecti Cap. Hist. Eccl. Sacra, I. p. 262.

s) Act. V, 36. 37.

usurpantes, maximam hominum multitudinem suas in partes traxisse, ad extremum autem misera morte exstinctos esse, testatur: quorum miracula, Messiam mentientia, IOSEPHVS t) et TILLEMONTIVS u) percensent. Sub idem fere tempus hoc nomine DOSITHEVS inclinavit, qui, desertis Iudeorum sacris, ad Samaritanos transiens, et Messiam fingens, plurimas turbas excitabat, litteras sacras reiiciebat, earumque in locum portentosos libros intrudebat: de cuius fraudibus ORIGENES plura tradit. w) Exigui temporis spatio intermisso, nouus in scenam Messias prodibat, IONATHAN adpellatus, qui copiosissimam hominum frequentiam in deserta loca adducebat, spe perpetrandorum miraculorum deludendos. Tandem vero impostor iste nefarius iussu Imp. Vespasiani flagellis caesus, rogoque impositus, mortem sua impietate dignam luebat, x)

Nullus tamen plus damni suae genti intulit, quam famosus iste BARCOCHAB, qui, detectis fraudibus, rectius BARCOSIBHA, h. e. filius mendacii cognominabatur, septuagesimo primo post Christum natum anno insaniam islam ingressus. Ne iniurii in eius manus videamur, audiamus suae fidei socium ita de isto exponentem: y) BEN COSIBHA, alias vocatus BARCOCHAB, rebellauit contra Romanos, et fecit seipsum Messiam. Et quidem vocatus est BARCOCHAB, h. e. filius stellae, quod de se dictum adfirmavit Num. XXIV, 17. Procedet stella de Iacob. Et R. AKIBA ipse, quem illum vidit, dixit: Hic est rex Messias. Quo facto, Iudaei Bitterenses eum unixerunt, et regem coronarunt. Et iugum Romanorum de cenuce sua excusserunt, multamque et Romanorum et Graecorum stragem ediderunt. Atque ita etiam in Aegypto fecerunt, amplius ducentis millibus occisis. Tandem Imperator Traianus Hadrianum cum ingenti exercitu aduersus eum misit, qui tantam Iudeorum stragem fecit, quanta neque tempore Nebusar Adanis neque aetate Titi audita fuit. Alii, qui de rebus Iudeorum exponunt, referunt, z) his in

t) Antiqu. XVIII, 1. et de Bell. Jud. III, 2.

u) Memoires de l' histoire

T. I p. 1060.

w) contra Cels. L. I.

x) Joseph. Bell,

Jud. c. 38. fqq.

y) R. Ganz, in ΙΙΙ ΝΑΞ p. 41.

z) Horringeri

Hist. Eccl. Saec. II, p. 66.

in tumultibus amplius quingentā hominum millia interfecta, nongentas et octoginta urbes ac villas defolatas, et quinquaginta castella solo fuisse aequata.

Quamuis autem miserum exitum omnes fere habuissent, qui adhuc Messiam mentiti fuerant; non tamen deerant, qui similes fraudes machinarentur. Anno enim à Christo nato LXXXIII. MENANDER, a) anno CXXX. CVBRICVS, b) anno CCCXIV. MOTESCRETENSIS, c) anno DCCIX, IVLIANVS, d) effreni audacia armati, eodem spiritus sumserunt, neque feliciora fata subierunt. In primis singularem nominis famam hoc inclarescendi studio DAVID ELD AVID, alio nomine ELROI vocatus, A. C. MCXXXIX. captauit. De quo quid sentiant ipsi tribules, his verbis exponunt, ex sermone Hebraico in Latinum conuersis: e) eo tempore nouae Israëli calamitates illatae fuerunt ab homine, qui se ipsum Messiam fecit. Et maledicti quidem huius viri nomen vocatum fuit Eldauid, ex urbe Amadia oriundi. Hunc sceleratores Messiam appellarunt, et laudibus mirifice extulerunt. Rex autem Persiac quem audiret, hunc hominem factiones comparare, bellumque instruere, paurore correptus, legatos ad eum misit, rogatum, ut ad se veniret, et miracula, quae iactitabat, praesaret: quae si probanda cognosceret, se ad cultum illius accessurum. David igitur, personatus ille Messias, animo imperterritu in conspectum regis venit, et regi quaerenti, utrum esset Messias? respondit: Ego sum verus Messias, quem Deus misit ad populum suum redimendum. Rex interrogando perrexit: quo signo hoc probabis? cui iste regessit: Si caput mibi amputaueris, ego reuiuiscam et reuertam. Iussit igitur rex, caput illi praecidi. Quo facto, adfectae eius, qui magno numero confluxerant, auide illius reditum in vitam, sed frustra, exspectarunt.

Multos alios Psendo-Messias silentio iam inuoluo, qui, monstrissimarum opinionum architecti et seditionum nefariarum coryphaei extiterunt, non nisi eorum principes subiuncturus, qui proximis centum abhinc

a) Centur. Magdeb. T. II. c. V. p. 194.

b) Michael. Hist. Eccl. p. 182.

c) Socrat. Hist. Eccl. L. VII. c. 38.

d) Nicephor. H. E. L. XVII. c. 24.

e) in תורת שבעה c. 31.

30. 11. 2012 10:3 AM

ab his annis eodem scelere sese obstripxerunt. Hunc in censum referri meretur decantatissimus iste Quackerorum dux, IAC. NAYLOR, Anglus natione, qui anno MDCLIV. turbis passim excitatis, poenam luit, quam temeritate et impudentia sua commeruerat, et cuius facta miracula atque acta à IO. CHR. MULLERO separatim recensentur. f) Hunc anno MDCLXVI, alias, dictus SABBATAI SEVI, excipiēbat, homo ingenio valens, neque parum litteris tinctus, qui Smyrnae regem Iudeorum mentitus, multumque auctoritatis consequutus, fraude in apricum protracta, fidem Turcarum amplexus, MDCLXXVI. Constantinopoli animam exhalauit. g) Et cui ignotum est OLIGERI PAVLLI nomen? qui anno MDCXCVII. Amstelodami Messiam Iudeorum simulauit, et omnium oculos in se conuertit. Nam, incredibili audacia adiutor, non solum cœlestes apparitiones et familiaria cum Deo colloquia iactitabat, sed etiam diuinitus se missum profitebatur, ad Terram Sanctam recuperandam; eoque consilio regem Britanniae, Guilielmum, litteris compellabat, atque eundem exercitus in Palaestinam deducendi summum ducem designabat, Galliarum autem regem, ut classem compararet, exhortabatur, ad hoc negotium feliciter exsequendum. Quam turpiter vero sese dederit, et quam foedam suo nomini maculam inuisserit, euentus docuit. h)

Ex his igitur, quae adhuc in medium attulimus, cognosci potest, quam deploranda sit Iudeorum conditio, qui non solum olim tot fraudibus sunt circumuenti, sed etiam nunc inter spem atque timorem haerent, sua ipsorum culpa miseri atque infelices, quibus adclamare iure nos possumus: O רְבִים בָּרִים δ Iudeos caecos! Habemus ergo, quod nobis gratulemur, qui verum atque antiquitus promissum Messiam et profitemur, et religiosa fide amplectiunur, neque vana spe aut inani perfusione nos circumagi patimur. Quemadmodum vero in hoc momento totius nostræ fidei cardo vertitur; ita de praeflantia huius doctrinae nunquam satis dici potest et perorari. Haec enim, ut CLEMENS ALEXANDRINVS recte sentit, sola est doctrina à Deo tradita, à qua dependent omnes fontes sapientiae, quicunque ad veritatem, tanquam ad scopum

f) in Greuel der falschen Messien p. 20.

h) Muller l. c. p. 24.

g) l. c. p. 24.

*scopum feruntur: i) imo in hoc, ut ipse optimus Saluator adfirmat, vi-*  
*tae aeternae ratio sita est, ut Deus, et qui ab eo missus est in mundum,*  
**IESVS CHRISTVS, cognoscatur.** k) Hac mente iuuenis et nata-  
*lium honestate et ingenii alacritate commendabilis,*

*qui omnia IO. CHRISTIAN GRETZSCHEL;*  
*Dresden.*

qui adhuc nostrae disciplinae traditus fuit, iam autem in eo est, ut scho-  
lam cum academia permutet, studio Theologico sece consecratus, suum  
esse existimauit, prius, quam discessione à nobis faciat, publica oratio-  
ne verbis Latinis concepta, *de signis, quae Messiam aduenisse testantur,*  
*certissimis, differere.* Quo officio peracto, carmine germanico Patronis  
et magistris, quorum opera adhuc usus fuit, animum pium et gratum  
declarabit. Idem vero argumentum, exercitiis cauſa, comilito

CHRISTIAN GOTTFR. SEILER,

Oberneuschoenberg. Misn.

sermone vernaculo persequetur, *luctuosa Iudaicae gentis fata strictum*  
enarraturus. Tandem amico discessuro votiva adclamacione fausta quaenam  
comprecabitur

Gottfr. Bened. Funcke,

Hartenstein. Misn.

verbis germanicis *de usu insigni, quem percipiunt filii, mature relictis ae-*  
*dibus paternis, praefatus.*

Vti vero Vobis, PATRONI, FAVTORES atque AMICI, haec argu-  
menta haud ingrata fore, confidimus; ita benevolentia Vestra adducti, praeui-  
demus, Vos suauissimam Vestram præsentiam cras, hora ante interdiem  
nona, oratoribus nostris non esse denegatiros. P. P.

Freibergae. a. d. VII. Octobr. A. R. S.

MDCCLI.

---

i) Stromat. L. VI.

k) Io, XVII, 3.

Yb 627  
(1/80)







41

DE

SPE IVDAEORVM DESPERATA  
PRAEFATVS

---

AD

*ACTVM VALEDICTORIVM*

OBSERVANTER

INVITAT

M. IO. GOTTL. BIDERMANN R.

---

FREIBERGAE, Litteris MATTHAEANIS.

XLI.